fragmentarium

9 v

induitur · cum munda uictorum confessio
ne circumdatur ; Purpura siue cocco uesti
tur · cum triumpho uictoriosorum marty
rū gratatur ; Et expuentes in eū · & rtq ;
Hoc faciunt usq; hodie pagani & heretici ;
Milites itaq; diaboli quasi arundine caput
xpi feriunt · qui diuinitati illius contra
dicentes errorē suū confirmare aucto
ritate sacrae scripturae conantur ; Arundi
ne enī · solet scriptura confici ; Spuunt
in faciem eius · qui eius presentiae gratiā uerbis
execrandis · ex intena caecae mentis insania
conceptis respuunt · & ihm xpm incarne
uenisse denegant ; Et post quā inluse
runt ei · & rtq ; Quando flagellatur ihs
& consputitur · & inridetur · nō habet ppria
uestimenta · sed ea quae p peccata nra
sumpserat ; Cum autē crucifigitur & inlu
sionis atq; irrisionis pompā preterit · tunc
pristina sua uestes recipit · & propriū adsumit
ornamentum ; Exeuntes autē inuenerunt
hominē cyreneum · & rtq ; Primitus secdm
iohm ihs portabat crucē · post inmposita
ē simoni qui obediens interptatur · uenien
ti de ciuitate libiae cyrenae quae heres
interptatur ; Qui nimirū xps pro nobis
passus · p hoc exemplū fidelib; ut sequant
uestigia eius ; Et simon de pago egrediens
crucē portat post ihm · cum populus nati
onū paganis ritib; derelictis · uestigia
dominicae passionis obediens amplectitur ·
[illegible] in locum qui dr golgotha · Golgotha

Est autē ipsit locus in helia tunc extra urbem ·
ad septemtrionalem plagam montis sion ;
Et caluariae non ob caluitium primi hominis ·
quē ibi quidā errantes sepultū frustra sus
picantur · sed ob decollationē reorum atq; damp
natorum dr ; Et pptera ibi crucifixus est
dns · ut ubi prius erat area dāpnatorum · ibi
erigerentur uexilla martyrii ; Moralem
quoq; crucis figuram describit apls ubi ait ;
In caritate radicati & fundati · ut possitis
cōphendere cū omnib; scis · quae sit latitudo
longitudo · altitudo · & pfundū ; Et deder
ei uinū bibere · & rtq ; Amaritudinis uinum
amarū facit · quae modo ppinat dno ihu ·
ut impleatur qd scriptū est ; Dederunt in cibū
meum fel & in siti mea potauerunt me aceto ;
Qd autē dr · cū gustasset noluit bibere · hoc
indicat qd gustauerit quidem pro nobis mor
tis amaritudinē · sed tertia die resurrexit ;
Marcus uō ē qd gustasset tacuit · qd bibere
noluit aperuit dicendo nō accepit ; Qd
marcus ait murratū uinū · mathS fel po
suit p amaritudine ; Et murratū uinum ·
amarissimū est ; quam quā fieri possit ·
ut & felle & murra uinū amarissimum
redderent ; Postquā autē crucifixerunt
eū · diuiserunt uestimēta ei sortē mittentes ;
Iohs autē distinctius explicat quē admo
dū hoc gestū sit ; Quadripartita autē uestis
dni · quadripartitā eius figurauit aeclesiam · toto
scilicet & iiii or terrarum partib; orbe diffusam
& omnib; eisdem partib; concorditer distribu

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. 756.60, 9v – Collection of homilies
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-q7xe/5101/48687)